

am, à nobis concedatur. At verò si hæc non simul vera esse possunt, multò major erit ratio, cur in pugnantibus habeantur, quòd *Deum unum*, eumq; *simplicissimum esse* Scripturæ testantur, & quòd *Patrem Deum, Filium Deum, & Spiritum S. Deum*, hosq; *tres realiter distinctas personas esse*, fides Christiana docet: item quòd *Christum verum hominem esse*, eadem tradunt; & tamen ejus *humanitatem humanâ personalitate destitutam, in personâ Dei subsistere, Deum ac hominem personam unam esse*, credimus. Hæc enim & ista rationi sibi relicta majorem videntur repugnantiam involvere, & creditu difficiliora sunt, quàm illa. Quæ enim in illis putatur intercedere pugna, concernit saltem prædicata extrinsecè denominantia, vel certè non simpliciter necessaria, quæ sunt *deseruisse terram*, & cum visum fuerit, *in terrâ adesse; palpabile, visibile, in uno loco esse, & non videri, non palpari, in pluribus locis esse*. Quæ autem in alteris intercedere videtur pugna, concernit prædicata intrinsecè denominantia, & quæ à suo subjecto realiter distingui, aut ab eo abesse ullâ potentiâ posse, ex lumine naturæ cognosci non potest: cujusmodi sunt, *subsistentia unitas in unâ Dei essentiâ, subsistentia humana in naturâ humanâ, personarum dualitas in naturarum dualitate*. Non enim ratio sibi relicta ullo idoneo argumento docere potest, *subsistentiam realiter ab essentiâ, aut unius simplicis essentiæ tres posse realiter distinctas differre personas esse, aut naturam humanam posse esse sine subsistentiâ humanâ, vel Deum & hominem posse esse unam personam*. Qui vult videat, quæ ante hæc in *Tractatu de usu Princip. rationis in controuv. Theol. lib. I. c. IX. §. XXX. seq. lib. II. c. XIV. §. XV. c. XVI. §. XXXI.* hanc in rem differuimus.

FINIS.



Coll. diss. A. 203, misc. 27